

## CORRECTIO

Mercurio, & Mercurius semper habet potētiam sulphuris, variando colorem cupri, qui existit in sulphure, ita quod noua forma appareat, & etiam ita cito sulphur comburere nō potest sicut ante ipsum Mercurium, Et cum Mercurius crudus coagulatur per ipsum, alteratur cum eis in natura, sicut ut aliquo modo apparet argentum, quamuis vere non sit argentum cum in eo non fuerit debita digestio & decoctio, & sulphur ignis non simplicis & virtualis naturæ sicut ipsum argentum viuum, ex quo aurum & argentum ex vtraq; parte scilicet Mercurij et sulphuris sufficienter sunt digesta, & bonæ maturitatis, & in omni digestionē perfecta. Sic habes argētum sophisticum ex stanno, cupro & Mercurio. Et si tunc admiscueris aliquos pulueres minorum mineralium, non est impossibile si Mercurius super potentiam agat. Sed tamen semper cum adhuc sit imperfectum, in fine diminuitur & comburitur in igne, cum sulphur non sit virtualis naturæ sicut ipse Mercurius, sed semper occulte obnoxius & inficiēs Mercuriū, quamuis bene Mercurius sit suppeditatus. Et sic postmodum in stercus redibit, sicut ante fuit. Sic ergo intellige quomodo verum aurum & argentum differunt a sophistico, licet plures sophistications fiant eodem modo per alia metalla in rubeum & album, adiūctis minoribus mineralibus vel aliquo ipso

*Inuamen  
minorū mi-  
neralium.*